

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0420

0418

0424

0414

0429

0409

0469

0369

0519

0319

0919

Ende

Anfang

406

et aliqui habebant bombardas et parati cum armis defensionis
asinos ascendimus et cum exercitu nostro de civitate Gaza
armati exivimus. Et quia in Arabiam divertere volebamus,
placuit Sarracenis armatura militum peregrinorum, camelario-
rum et asiniorum, omnes enim cum gladiis et pugionibus
habebant arcus. Si autem in Syriam a Palaestina fuisse iter
nostrum, nequaquam nos dimisissent cum armis exire civita-
tem. In exitu autem urbis descendimus de colle, in quo ci-
vitas sita est, in campestria et contra meridiem processimus
et Bersabeae civitatem, quae terminum australem terrae
sanctae facit, non longe ad dexteram habuimus. Cumque
inter hortorum sepes per communem stratam non longe pro-
cessivissemus, minaverunt camelarii camelos extra viam in
agrum quendam et ibi prostratis camelis onera dejecerunt et
manere ibi per noctem decreverunt, quod tamen nobis disipli-
cuit, quia multum adhuc de die superfuit. Calinus autem
major dixit nobis, quod onera camelorum non essent aequa-
liter divisa et quod jurgium esset inter camelarios, igitur
necesse esset omnia ordinare illo sero, quae pro quieta ex-
peditione nostri (**b**) exercitus expedirent. Campus autem, in
quem declinavimus, dicebatur Gasmaha. Descendimus ergo
de asinis et tentoria nostra fiximus, sub quibus quiesceremus.
Quidam tamen pro sua quiete sibi propria umbracula suis
vestimentis fecerant et sub eis quieverunt. Fixis tabernaculis
extraximus de sepibus ligna et coximus pro coena cibos et
pro prandio diei sequentis. Sic enim fieri oportet, quia camelii
onerati a mane usque ad sero continuant gressum nec pausam
aut interceptionem patiuntur, et ideo concomitantes eos etiam
continuant et prandium sedendo in asinis sumunt et numquam
per totam deserti viam potest sumi prandium de cibo calido,
aut quiescendo, sed de cibis in sero coctis. Protulimus etiam
de saccis nostris vinum pro coena illa et pro prandio crastino,
similiter et paximatos et haec aequaliter divisimus singulis;
quilibet habuit flasconem, in quam portionem vini accipiebat.
Coena parata, quam ad unum ignem coximus, sub tentoriis
nostris consedimus et manducavimus; praemoniti autem fui-
mus, ne umquam omnes simul ad dormiendum nos poneremus,
sed semper aliquis de peregrinis vigil exercitum circumiret

